

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm|| Insectorvm

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVIII.

VD18 90529197

Capvt II. De Vermibus in specie.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11095

Constituto tempore reviviscere ad-
dit. Vestuntur nonnulli pilis, qui-
dam non item.

Nieremb.
H. Exot. 13.
c. 16, 21. et
22.

Apud Mechoacanenses, *Itzuaqua*
vermis, qui et *Sipantipe* dicitur,
duobus corniculis rubris iter prae-
tentat, nigro fuscoque variegatus.
Tlaxquipillin Mexicanis seu marsu-
pium terrae vermis quidam niger
dicitur, cuius pulvis inspersus me-
detur leprae. *Coyayaboal*, aliis
Tzinchoillin, et *Ichaton*, praedurus

vermis est, superne fulvus, pede
numero purpurascens. Arefa-
ctus, rufus, et aqua dilutus, maxil-
lisque quotidie bis illitus, dolores
dentium placat. Anno M. C. IV.
ignei vermiculi, incerta specie, in
Italia per aërem vecti, ceu densae
nubis objectu, solis etiam lumen
humanis oculis auferebant, etc.

Nos secundum subiecta, in qui-
bus nascuntur, discesce-
mus.

CAPUT II.

De Vermibus in specie.

ARTICULUS I.

De Vermibus qui in plantis nascuntur.

PUNCTUM I.

De Vermibus arborariis.

Vermes alii plantis, alii animali-
bus, alii homini innascuntur.
Nihil de lapidibus dicam. Planta-
rii vel sunt *Arborarii* vel *Fruticarii*,
vel *Leguminarii*, vel *Fruventarii*
vel *herbarii*.

ARBORARII, quidam li-
gnum, quidam corticem, nonnul-
li folia, flores, et fructus exedunt.

Monfetus
Theatri In-
sect. 2. c. 19.

Ligni - perdes dupliciter distin-
guuntur, vel ab ipsis arboribus,
vel lignis: infestant nonnulli ficum,
alii sorbum, alburnum, esculum,
Cinnamomum, Platanum, Quer-
cum, etc. Eorum qui in *ficis* exi-
stunt, alii ex ipsis nascuntur arbori-
bus: alius item paritur, qui vocan-
tur *Cerastes*. Quum enim vermium
magna pars specie formave inter se
differunt, discrimen tamen praeci-
puum in his est, quod in alia arbo-
re fructuve nati, translati in aliud
genus servari nequeunt. *Cerasten* au-
tem et in olea nasci, et in fico parere
asseverant. Habet itaque et ficus
suos vermes, et illos quoque emit-
tit, quos alienos receperit. Omnes
tamen in *Cerasten* figurantur, so-
numque edunt parvuli stridoris.

Sypontinus duo illi cornua in capi-
te assignat. Cum erodendo tantum
loci excavaverit, ut semetipsum cir-
cumagere possit *ὡς περ οἱ μύσλοδοι*,
aliud animalculum progignit, et
unam speciem in aliam (erucarum
more) transmutat.

Et *Sorbus* arbor infestatur vermi-
culis rufis, pilosis atque ita emori-
tur. *Mespilus* item in senecta ver-
mes tales procreat, sed grandiores
quam in aliis arboribus, ut Theo-
phrastus refert. *Alburnus* vermem
profert Thripiformem, ex quo Cu-
lices deinceps vel Phalaenarum spe-
cies nascuntur, *ἀχραδῆναι ζῶα τινὰ ξυ-
λοφάγα* Hefychio, quia *Pyros* syl-
vestres acriter infestant.

Vermiculus in *Esculo* arbore (*Gal-
bus* a Suetonio dictus) mirae est exi-
litis, unde qui primus Sulpicio-
rum Galbae cognomen tulit, a sum-
ma gracilitate ita vocatus est. Ca-
rabum *Platanus* producit, (testibus
Hefychio et Aristotele) vermem
cancris marinis similem, sed sex tan-
tum pedibus donatum. *κασιόβορος*
σινώλης Hefychii hoc modo nascitur:
(Theophrasto autore;) ligni Cina-
momi

Vermes Arborej . Holtzwürm Mouf .

Cossus . a .

b

c

d

e

f





Vermes Fructuum fleguminum Mouf







Vermes Hominum Menschenwürm Aldr .
Spulwurm .

1



Limaces Schnecken .





momī ramulos binum digitorum longitudine abscindunt; recentesque bovinis tergoribus insuunt; tum exinde lignis putrescentibus vermiculos nasci ajunt, qui lignum corrodunt, corticem nullatenus tangunt ob acrimoniam: lignum hoc in aedibus Pennii visum est, a vermiculo erosum; quod cinerei fuit coloris; non valde durum, insipidum prorsus, et inodorum, contra quam Lusitani aliquot mercatores, et medicalstri simplicium ignari, affirmant.

Raucae vermes *Quercus* radici in nascuntur, iisque nocent. Olea (inquit Plinius) male ponitur, ubi quercus effossa fuerat: nam relictī in quercus radicibus raucae vermes, ad oleae radices transeunt, atque eos infestant.

Corticarii vermes pauci a veteribus nominantur. Decempedem illum *Clopt* dictum superius descripsimus.

Folia arborum et flores depascunt *Syrones* dicti, quorum crassities quantilla sit ex eo cogitare possumus, quod inter folii tenuissimi membranas fodiendo serpit, salva utraque epidermide. Post acetilumbricos: (inquit Joachimus Camerarius) nullum vermiculum vidi adeo compressum. Cuniculi, quos agit, subtilissimas aliquando lineas et fibras referunt; folia cerasi et maculata plurimum laedunt, atque post fatietatem excidunt, et videntur ex multis seminibus peponum secundum latum conglutinati formati, nisi quod longe sint minores. Ab his emortuis aliud prodit insectulum, veluti et hi ab alio.

Syronibus persimiles *ἀκαροι* quos Angli tam in lignis, cortice, folio, floreque et fructibus arborum, quam caseo et cera genitos, mites id est minutulos sive atomos appellant; a Syronibus eo differunt, quod ex multis Acaris constare videntur. Acarus autem ipse globosum, album, sepes, et pedicillo simile est animalculum; tam nullius fere substantiae, ut inter digitos pollicemque fortissime compressus, ob exi-

litatem laedi sentirive nequeat. Antigonus eum et Aristoteles *ἀνταμόν* vocarunt, id est Jovis promum; eam forte ob causam quod crassissima vini dolia rostro perforat. Et sane nisi Jovis ei aliquid inesset aut divinae virtutis, quomodo tantae vires in tam pusillo et paene nullo corpusculo cernerentur? In *fagi* quoque *foliis* tubercula parva reperiuntur, in quibus vermiculi exiles.

Fructus etiam arborum (ut Theophrastus loquitur) est *σκληρόβρωτος*: etiam cum adhuc crudus est, in Sorbis, Mespylis, pyris, malisque cernimus. Oliva tam in cute quam nucleo vermes *κάρπας* vocatos patitur: unde haud contemnenda pestis Theophrasto dicitur, quae non solum succum et oleum absorbet, sed etiam nuclei tam duri ossa exedit. In *Gallis* perforatis vermiculi etiam deprehenduntur, ipsa intima medulla geniti; e quibus postea muscarum et culicum quorundam genus oriri, Valerandus Doures Pharmacopaeus Lugdunensis auctor est. In *Quercus* item glande et pomis illis fungosis vermes aliquando nascuntur; eoque anno famem et annonae caritatem Astrologi praefagiunt. *Nucibus* avellanis vermes inesse notius est, quam ut de iis contendam: praesertim aestate humida, et vento ex Austro flante. Mirum est quod Ringelbergius libro experimentorum scribit. Hos vermes lacte ovillo ad serpentis magnitudinem enutrirī posse. Cardanus tamen idem confirmat, modumque nutritionis, septimo de rerum varietate ostendit. Vermiculi in *ficibus* arefactis similes iis qui in avellanis nascuntur, capite nigro, reliquo corpore ex luteo albicante, sed minores. *Conos cedri* vermibus esse obnoxios comperi, (inquit Bello-nius) quemadmodum et pineos. Cincidela foeminam crassitie referunt, digitum transversum longi, capite formicae, sed magis compresso; incisuris duodenis; pedes *juxta* caput utrinque tres, antennae circulares binae, venter crassus, A a a cauda

cauda mucronata. In praeduriis quoque et lignosis *opali* pericarpis, semen inest latiusculum et saepe, vermiculis exesum: quorum veluti aurelias ibidem reperies. Nullus denique fructus nominari possit, quem non tinea aut vermis inficit: imo ipsum aliquando Manna (ut Poëtae fingunt, Deorum; ut Scriptura asserit, Dei filiorum cibus) putredinem et vermem admisit, quum, praeter Jehovahae mandatum in crastinum reponeretur.

Huc refer *Nopal Ocuillin*, seu Tunarum vermes, *Axocuilin*, et *Cuchipilutl* Indorum. De illis ita *Nierembergius*. Familiare est hucutlae, provinciae Panicensis, tunarum genus, folia ferens longa, et angustiora caeteris, intra quae solent vermes generari lineis candidis cyaneisque distincti, mirabilis facultatis in curanda infania, si bini tusti, et resoluti ex aqua semel intra sumantur; aut si inveteratus sit morbus, bis aut ter: inducitur enim e vestigio somnus, permissusque aeger dormire, paulo post mente constans expergiscitur, atque resipiscit. Sunt autem hi vermes innoxii, neque ullum inferre nocumentum solent, si intra corpus deglutiantur: quo fit, ut intrepide possint propinari. Addunt, paralyticis atque epilepticis eadem mensura conferre.

De *Axocuilin* ita idem. Plurimum usum vilissimae etiam naturae hic videbimus. Nascuntur inquit Franciscus Hernandus, in arboribus guampatli, aut aliis, quas nostri ob similitudinem prunos vocant (cum tamen ad myrobalanorum Arabicorum pertinere genus alicui fortassis videri possit) vermes quidam hispidi, *axocuilin*, seu ferentes axin; pallentes, vix longi binos latos digitos, ac pennam crassi anserinam. Hos indigenae ab arboribus deturbatos permittunt ad ignem ex aqua exilari ac discoqui, donec comminuantur, et adeps ejusdem coloris, axin nomine, supernatet atque emineat. Colligunt hunc ad usus multiplices incolae, et confor-

mant in globos, e butyro vaccino parari solitis haud absimiles, olei odore et lenitate, et ad omnia, quibus oleum conferre solet, praestantissimos, non tamen in nutrimenti usum adhuc venere. Dolores, quamcunque partem corporis obfederint, sedant: nervos tensos laxant, emolliuntque, discutiunt tumores, aut, si natura in id potius propensa sit, maturant: erysipelatis desinentibus conferunt, ulceribus ferunt suppetias, convulsisque, nec non enterocelis, addita resina ac picia, collectionesque cujusvis generis brevi admodum minuunt atque discutiunt.

Cuchipilutl ita describit *Nierembergius*: Vermis genus est juxta moros aut falices versans, hombycis magnitudine, et paene forma, sese illius instar Octobri mense firma convolvens membrana, ac prodiens Aprili, conversus in papilionem. Suspendunt hunc Indi infantium cunis, atque ita somnum illis conciliari credunt. Vnde imposuere ei nomen. Idem in pulverem redactus, ac ex vino proprio, quod pulque vocant, totus potus, Venerem stimulat. Mexicanis agris provenit, et ex his quas dixi arboribus victum sibi quaerit.

A lignis in quibus prodeunt sumptas differentias, si attendas, vel innascuntur virentibus truncis, qui *δῆκες* dicuntur: vel in aridis et exsuccis qui *ἐξηλα*, vel in solidis et siccis qui *Thripes*, vel in lignis calidioribus qui *Termites*: vel in solidis et siccis qui *Cossi*: vel in navium tabulis qui *Teredines*.

Δῆκες forte ἀπὸ τῆ δάκνειν nomen sumperunt, adeo ut saepe ad earum radices magna pulveris vis, mordent enim et mandunt vivas arbores, quasi serratione facta, conspiciatur: caput huic deformis; varium, tegmine coopertum, quod exercere et contrahere pro lubitu potest. Pedes habet in posteriore parte caudam versus, sicut *Cossi* in pectore; reliquum corpus tunica arenosa tegitur, quasi putamine; qua exuti moriuntur, ut cochleae testis

Nieremb.
H. E. l. 13.
c. 30.

Nieremb.
H. E. l. 13.
c. 11.

Nieremb.
l. 13. c. 13.

testis nudatae. Tempore a natura constituto, in thecam aureliae similem obdurefcunt, sed quae hestiola pennata inde provenit, nondum animadvertimus. Cossio longe major ob nimiam edacitatem, et minus delicatus. Pici martii, aliaeque ligniperæ aves rostro virentes arbores percutiunt, et sono concavitates investigantes, eo loci perforant et pertundunt, donec ad mordellas istas pervenerint, ipsasque degluti-verint. Valde enim delectantur hoc cibi genere, ejusque gratia integros aliquot dies in perfodienda arbore insumunt.

Εγξυλον in ligno surdo reperitur, et pumicoso, quod ne baculo quidem percussum sonum edit: Cera-stæ Theophrasti, et pityocampæ Medicorum valde cognatus, nisi quod tres tantum utrinque pedes consecutus sit. Virosus illi et pertinacem odorem, et vim valde septicam tribuit Gesnerus.

Θειπες a terendo dicti videntur, vulgares satis vermiculi ac frequentes, parvi, corpusculis albidis, capitibus nigricantibus vel ex rubro infuscatis, pedibus sex juxta collum tenuissimis, exilibus, et cum rubedine non magna nigricantibus; vermiculo avellanae nucis structura corporis persimiles, sed medio minores atque breviores; nigra ligna non amant, sed albicantibus duntaxat (qualia sunt Alburni, Coryli, Betulae, Cinamomi, Platani) innascuntur: quae jam arida solidaque perterebrant, et absorpta humiditate cariem inferunt.

Termitem producunt ligna folis nimio calore torrefacta; qui (Servio authore) ex ipsa medulla genitus, matrem tantum absomit, osseamque et corticeam substantiam non attingit. Ingratum sane animalculum, tantoque aliis vermibus deterius, quanto cordi arborum, et vitali ipsi fonti perniciosius, vivunt enim aliquando cute et ossibus spoliatae: atqui medulla absorpta, statim pereunt, nec mederi tanto valet vulnere natura. Corporis effigie Cossos referunt: sunt autem mi-

nores multo, et non parum molliores.

Cossi rugosi admodum sunt corporis, unde et Consules quidam Romani Cossi vocabantur. Majores Cossi fere minimum digitum crassi videntur, et tres digitos transversos longitudine adaequant; colore albicante, erucis majoribus fere similes: quare a Plinio praegrandes Cosses dicuntur; pedes utrinque tres, non procul a capite penduli, breves, exiles, nigricantes. Corpus annulis duodenis constat, versus caudam semper minoribus et pellucidis; caput crassiusculum, colore nigro, duae in fronte laminae; juxta os sunt exiguae quasi setae aculeatae, singuli annuli in lateribus, singulis punctis rubentibus modice cavis notantur. Tardigradum valde est animal, et motus vix perceptibilis; qua de causa ventricosos et desides cossos appellat Festus. Oculos habet parvos valde, dorsum teres, ventrem nonnihil concavum, colore albicante dilutum; obesuli videntur et valde molles, lignis noviter sed intempestive caesis innascuntur; si vero diutius resecta fuerint, plurimamque humiditatem amiserint, minores oriuntur Cossi, magnitudine solum a majoribus diverſi. Veteres in Ponto et Phrygia, (ut Plinius et Hieronymus tradunt) iis quasi delicatiori cibo vesci solebant, atque eum in usum farina saginabant, ut vermiculi quoque altiles fierent. In medicum etiam usum veniunt Plinio teste; sanant enim ulcera, lac augent, nomas illi percurant; id quod Albertus quoque confirmat.

Teredines, capite ad passionem grandissimo, rodunt dentibus, perforantque robora, vel sono teste. Hae tantum in mari sentiuntur. (Theophrasto teste) nec aliam putant teredinem proprie dici. Horum alios tam longos in navibus Venerorum quae diu in Alexandria portubus constitierant, repositos meminimus, ut cubitum longitudine, pollicem crassitudine aequarent. Quales etiam inclytus ille

Franciscus Drakus, alter quasi Maris Neptunus, in nave sua orbivaga (cane jam pene spongiosa) domum reduxit. Vidimus alias Teredines unciam longas vermi farinario persimiles. His corpus teres, caput ex luteo splendente, parum rubens, os forcipatum, a cuius quasi labris parvae spinulae nascuntur; pedes utrinque terni, incisurae corporis undecem, aliquantum rubentes: reliquum corpus dilute livefcit cum splendore; quo majores fiunt, eo ex phaeniceo obscurius splendent; quo vero minores, eo intentius albicant. Itali Byssam, Hispani ab edulio Bromam vocant: exedit enim naves et perforat; unde Aristophanes in Equitibus triremem exesam, loquentem, introducit verbis ὅπδ τερεδῶνων σαπῆς τῷ ταύ-
τα καταγράσσειν. Sic etiam Ovidius l. de Ponto. Estur ut occulta vitata teredine navis. Teredines non naves tantum, sed et aedium trabes infestare (Pace Pennii dixerim) ex Homeri Scholiaste (O. diff. λ.) constat, cuius haec sunt verba: Melampus, cui Draco aures purgaverat, ut Brutorum sermonem intelligeret, ob boves Iphicli abactos in carcerem conjectus est. Vbi cum intellexerat ex Teredinum colloquio, parum superesse de trabe, efferrī se iussit, ne illa decidente vitam finiret. Atque dum a viro et mulieri sublimis factus efferreretur, domo corruente, uterque reversus periit. Patet id etiam ex Comitorum Latinorum facile principe, quum Philolachen adolescentem his loquentem verbis introducit:

Atque illud saepe fit: tempestas venit,

Teredo aedes ingreditur, et vermis malus.

Venit imber, lavit parietes, perpluunt

Tigna, putrefacit aër operam fabri, etc.

Magnis hi praesertim nocent arboribus, nempe Quercui, pyris, malis,

castaneis, laricis, juglandibus, fagis, mespilis, ulmis et latifoliis salicibus: in quibus immature caesis, et plantatis, pinguedo quaedam mollis et mala oritur (alburnen et alburnum saltuariis dictum) omnium Teredinum seges et fomentum. Quo sicciore, amariore, oleosiores, atque duriores sunt arbores, eo magis a Teredine liberae creduntur: tamen aliquando cupresso, juglandi, Guajaco, et Tiliae, Ebena etiam ipsi, vim facit. Modus autem generationis ipsorum in lignis huiusmodi est. Plerique innascuntur, non foris se inferunt; depascuntque sua principia, ut ex quibus constant, ex iisdem constare pergant. Materialis causa et conjuncta, est dulcis et alimentarius lignorum humor putredine infectus, quemadmodum ex pituita dulci lumbrici intestinorum nascuntur. Putrescit autem dulcis ille humor duplici de causa. Dyscrasia scilicet vel continui solutione: per Dyscrasiam qualitas corrumpitur; per vulnera vero, non tantum innatus effluit, et se effundit humor, sed alienus quoque per pluvias caliginesque illatus putredinem efficit. In vetulis, raris, et siccatis per aetatem arboribus, maximi sunt vermiculi; tum quia humidum radicale magis minuitur, tum quod Dyscrasia colorumque et humor peregrinus magis augentur: quemadmodum et senes plerumque dira scabies, et syrones acarique crebrius infestant. Sub luna exposita ligna citius vermiculantur, ob nimiam aëris humiditatem; sub sole autem calidiore, ob nimium ardorem. Qui vero innascuntur, hi omni tempore generantur: Illatitii autem, et ex semine culicum, muscarumve natis, verpotissimum atque aestas amica sunt: hyeme enim congelati pereunt. Caelum quoque et solum magnam vim habent, ligna quippe Iberica rarius purefcunt, ex solis virtute; quemadmodum et Arabica, ex coeli.

De Vermibus fruticariis.

Moufet, l. c.

Vermes fruticarii, Salicem, Ilicem, Juniperum, Cynosbathum, et reliqua infestant. In *Salice* humiliori, (praesertim quando gallae tuberculosae erumpunt) nonnunquam quasi rosae inveniuntur, quae vermibus scatent, uti etiam in lentisci foliis accidit.

Ilicis (inquit Quinquernanus) duo genera: alterum arborecens, alterum frutex exiguus, sesquipedali proceritate. Laetissime viret, foliis laevore praefulgidis, spinarum vallo ambitis numeroso, stolone assurgit in modum rosarii: a nostris Fagi appellationem fortitus, quamvis nullam fagi imaginem repraesentet. Provenit locis planis quidem, sed in altitudinem evectis, exilibus et fientibus collibus, sed infocundis. Vere medio rorati imbribus frutices, *Coccum* hoc modo ordiuntur. Vbi imus scirpus se in duo brachia fortitur, in horum medio primum omnium increfcit rotundum quiddam magnitudine et colore pisi; hoc Matrem vocant, quod ex eo cetera grana producuntur. Matres porro habet ut plurimum quinque quaelibet cespitum familia, quae ineunte aestate aestuque minutissimorum vermiculorum catervam profundunt, fascicuntque in summitate. In animalia prorepat nova soboles colore candida pro se quisque in sublime. At ubicunque vermiculi vel germinantis surculi axellis occurrerint, decident, et incrementis aucti Milii magnitudine fiunt. Inde liberius adolescentibus, albus color in cinericium transit, jamque non animal, sed Pisum rursus apparent. Tuncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis foeta: dum asportantur mercatoribus, ambiens pellicula prae teneritate rumpitur. Vermiculorum quidem qui circa vaginulam habentur pretium in libram quamlibet, aureus solatus: in granorum vero quae adhuc eorum par-

tem retinet, hujus quadrans. Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent. Caeterum, quum primum tempestivitas adest, in lintea praecipitati Soli exponuntur. Tum libato colore statim prorepunt, atque aufugere nituntur, sed a custode, qui continuus assidet, concussu liniei in medium eoque rejiciuntur, donec emoriantur. Tanta quidem dum haec fiunt, totoque mox triduo, odoris suavitate ac gratia, ut non Cibetae, non Moscho, non Ambrae, sed ne Citriorum quidem floribus concefferit. Si quae vero grana legentis effugerint sedulitatem, ea mox alatorum animalium numerosum exercitum in auras effundunt. Observatum est uno anno ex campo lapideo, in Arelatenfi agro, hunc proventum undecim aureorum millibus aestimatum. Haec Quinquernanus.

Similis Cocci parandi ratio, etiamnum meo tempore (inquit Carolus Clusius) in Gallia Narbonensi, atque etiam in Hispania observabatur. Areas enim sub dio habent ad id destinatas eminente aliquantulum margine, quibus linteo panno instratis *Coccum* effundunt, custodibus cum bacillis summo fervore Solis perpetuo assidentibus, et extrema liniei concutientibus: ut vermiculos effugere properantes, in anteriorem liniei partem repellant. Verum Petrus Bellonius lib. 1. observ. cap. 17. aliam praeparandi Cocci rationem refert. Cocci baphicae (inquit) proventus in Creta magnus est: Pastores et pueri eam colligunt. Inveniunt mense Junio in exiguo quodam frutice ex *Ilicis* genere quae glandem fert, sine pediculo inhaerens illius fruticis stipiti, colore ex cinereo albicante. Quoniam vero istius fruticis folia spinis horrent, uti Aquifoliae; pastores ferulam sinistra gestant, qua ramulos deprimunt et inclinant. Dextra falcem putatoriam, qua ramulos

B b b

deme-

demetunt; a quibus vesiculas rotundas, exigui pisi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhaeserant apertas et hiantes, plenas exiguis rubris animalculis lende minoribus qui per hiatum istum effugiant, et vesiculam vacuum relinquunt. Pueri Coccum jam relictum ad Quae-storem deferunt, qui ex dimenso ab illis redimit. Is a vesiculis animalcula cribro segregat, deinde ea summis digitis leniterprehendendo in pilas efformat ovi gallinacei magnitudine: Etenim si nimium comprimeret, tota in succum resolveretur, et color periret. Itaque duo infectionis genera, unum pulpa, alterum vesicularum; et quoniam pulpa inficiendo magis utilis est, ejus pretium quadruplo majus quam vesicularum.

In summis *Juniperi* furculis, exiles e croceo rubentes, Gesnerus observavit. In *Cynosbati*, sive rosae sylvestris spongia vermiculi nascuntur albicantes, ex quibus Aristoteles Cantharidas provenire scribit. Post duos menses, (inquit Gesnerus) in hypocausto servata spongia magnum numerum vermiculorum viventium effudit. Spina item, et sentis, Rosa, Erica, Genista, Colutea, Rubus Idaeus, Myrtillus, Capparis, uva crispa, Carpinus, Oxyacantha, ligustrum, *vitis*, glycyrriza, omnis denique frutex, et suffrutex a vermibus exeditur: neque Ricinus ipse (Jonae, divino illi vati, nimium exaestuanti umbram praebens) ab hac peste legitur immunis.

PUNCTUM III.

De Vermibus leguminariis et frumentariis.

Moufetus
Theatr. 2.
c. 20.

Legumina sunt *σκληρότατα*: sed quomodo id eveniat incertum est. An quoties diffundi nequit humor ob aestum et squalorem, ut Theophrastus innuere videtur? An potius dicendum a sicco humorem appeti, humorem autem illum refugere tanquam adversarium? Sic pendentes arido parieti videmus guttas. An calor nimius corrumpit naturalem, cum calorem, tum humorem intus contentum? Sane eo modo putredinem induci, morbidissima Aethiopia testis est. Fabas depascitur vermiculus, Midas Theophrasto, Hesychio *κοίελος* vocatus. *τρώξ* καὶ *κναματρώξ* vermiculus leguminaris dicitur, sed praecipue in Pisis versans, et ab erosione nomen obtinens: qualis etiam in Cicere, posteaquam pluviis ab eo elota fuerit falsugo; ut praeter Hesiodi Scholiasten Phavorinus et Theophrastus statuunt; leguminibus dulcioribus saepe innascuntur, tum ob alimenti aptitudinem, et Elementi verminantem naturam. Dulcia enim vermes cito generant, generatosque nutriunt et saginant.

Frumentarii vermes, in genere *Frumentarii*. *Σώμικες* dicuntur: qui tritici, filiginis, panici, avenae, orizae, milii, et fecalibus radicibus, stipulis, calamis, spinisque victitant. Eorum alii amylo vescuntur frumento, ut Farinarii: alii integro et mola nondum confecto, ut *Curculiones*. *Farinarii* Angli Mealevvormes appellant, teredini similes, sepedes, capite parvo et spadiceo, corpore annuloso, et pro farinae diversitate vario colore: proba enim et albissima farina, albos generat; vetustior flavos; macra et fursuribus immixta etiam fuscis. Cardanus eos *Blattas frumentarias* vocitat, sed (ut saepe fit), incogitanter. Fursure nutriti mirum est in quantam excrescant multitudinem, et ex decem trecentos brevi videas. Apud panni lanei textores quovis fere tempore inveniuntur: hi enim ex fursuribus, aceto et axungia mixturam faciunt, unde copiosissime nascuntur. Integri frumenti, sive tosti, ut in *βύνη* Aëtii (quam Maule Angli, cerevisiae matrem, appellant) sive crudi, strages curculio: sic

fic enim rectissime meus Comicus, etsi Virgilius atque Varro Gurgulionem, et Curculionem scribant.

κς Graecis dicitur, Animal trirostrum. Triticum praecipue sed etiam alia quaecunque vastat frumenta; praeter cassam tenuemque membranulam nihil reliquum faciens; nam ut Georgicorum vates: populatque ingentem farris acervum Gurgulio. Ad Scarabei minuti faciem formatus, rostrum habet sibi peculiare, et trifurcum. Corpus aliis nigrum, aliis subfuscum, aliis, et majoribus subviride, cujus medium isthmus coarctat. Bestiolae tanta est siccitas ut primo quoque tactu levissimo in pulverem abeat. Vere maxime generatur paucorum dierum spacio, antequam examina faciunt apes. Nascuntur (inquit Theophrastus) ex alia grani parte; quod vero reliquum est, pro cibo utuntur: rustici nostri σιτοφάγον hoc animal in parietum rimis ac inter tegulas ova ponere pro explorato habent, unde per procreationem nova soboles. *Tria* de his bestiolis mira memorant. *Primum*, quod licet ab initio paucae fuerint, brevi in infinitam sobolem propagantur. *Secundo* quod inter tegulas ac in rimis parietum triennium ac amplius fere sine cibo vivunt.

Tertio, si una cum hordeo vel tritico per triduum submergantur, tandem exemptae reviviscunt. Syliardus noster (diligens naturae observator) *Curculionis* propagatio-

nem ita describit: Quum formicae aristae culmen exederint, ascendit curculio, et per exiguum illud foramen, ovum unum vel alterum, (rarissime tertium) deponit, magnitudine ferme grani milii; oblongum fulvum, liquidae materiae et fulvae plenum: ex quo deinceps novus prodit Curculio. Datur in hoc insectulo uterque sexus; siquidem coeunt antequam hanc injuriam inferunt. Petrus Comestor ex fabarum corruptione provenire affirmat, cui praeter Guillerinum de conchis nemo subscribit, ne curculionem cum Mida male confunderent. Praeter vulgo notum hunc Curculionem Joachimus Cameraarius e Germanorum horreis duos ad Pennium alios misit, ventre longe turgidiore; quorum unus subcineritii, alter viridis coloris. Est etiam in tritico (inquit Scaliger) Curculio quidam erostris quem forte Plinius Scarabei frumentarii nomine subintellexit.

Circa Lentzburg oppidum Germaniae in agris reperitur Insectum, quod alii veput, nonnulli Kornevvorme, quidam Kornevele appellant. Dicitur esse adeo venenosum et noxium, ut agricolae aratro relicto obvium illud persequantur, et interficiant. Ex rubro parvo nigricat inter segetes habitans, et grana comedens. Vermes in vitibus nati *Cocci* illos vermiculos aemulantur, quales in Pimpinellae radicibus colligi putat, imo pertinacius instat Brassavolus.

PUNCTUM IV.

De vermibus Herbariis.

Herbarii nascuntur, in Violis, Cynara, Ocymo, Saccharo, Lupulo, Aspodele, Pimpinella, Dyspaco, Carlina, etc. *Violarum* vermes minutissimi conspiciuntur, et nigri, celeri repentes cursu; ut Jacobus Garetus, Pharmacopola diligentissimus, et simplicium cognitione inter paucos celebris, observavit. E radice *Cinarae* prodit vermis Hexapus, eruciformis, albi-

cans, capite ex nigro rubescente. Cinarae radices qua rodit nigras reddit; ac tandem interire facit; tales item raphanus producit.

Referunt, (inquit Cardanus) vermem *in rutae foliis* inventum, lacte ovillo, eodem modo quo Avellaneus, ad magnitudinem non parvam enutrir. Vermiculus filius roris, Ocymique hospes, corpore fere erecto, posterioribus pedi-

Bbb 2

bus

bus haeret, dum prioribus locum, captet. Ex *arundine* saccharina, saccharum paratur, omnium quidem salium dulcissimum, et (ut vulgus medicorum existimat) putredinis omnino expers. Tamen fretus Scaligeri clypeo, in saccharo pusillum vermem, longum, pulicis colore, et (si rostrum adimas) Curculioni persimilem nasci asseveramus; et saccharinum propterea merito dicimus. Hujus item Bellonius mentionem facit.

Videtur etiam rara admodum generatio ejus Insecti quod Germani (utor Camerarii verbis) Maeyn *wormlen* appellant. Quippe mense Majo saepe cadunt rores insalubriores, qui si in lupuli folia inciderint, vertuntur in animalia, Hoppen dicta. Eorum aliquot inter millia unum interdum videris aliis longe majorem (quamvis ipse pediculus obesiorem vix superat) cui lutei circa ventrem circuli, dorsum striatum, cauda satis protensa, color maximam partem corporis subniger. Huic cum ros deficit alimentarius, reliquos sui gregis sigillatim devorat semper a proximo incipiens. Bombycum instar cutem mutat demum ubi totus fere perlucet, deposita ultima tunica, capite et pedibus per gluten quoddam tenuae folio affigitur, atque ita emoritur: Hunc vermem lupularium vocare quid impediat?

In *Ajphodeli* caule vermis gignitur *dipterygodes* cum herba florere incipit; ex hujus Scapulis alae sentim excresecunt, atque tum volucris factus, lares deferit. In *Persicariae* Siliquosae et Cardui sylvestris geniculis extuberantibus, vermiculi nascuntur albicantes, ut in floribus *Pseudocacaliae* purpurascens sub-

lutei, in *Pimpinellae* radice miniati. *Apio* foeminae vermes lanuginosos; in *Fungis* et *Brassica*, graciles, nigricantesque: in *Acori* radice albidos saepe vidimus. In radice *Enulae* sive *Helenii* virentis et crescentis, vermis albus decem vel undecim articulis conspicuis oritur, ad pennae anserinae crassitiem, capite parvo et nigro, pedibus sex brevissimis, et colore anthracoco. Indorum reges (Aeliano teste) in planta quadam vermem repertum, igne rostum, secundis mensis adhibent, et pro cibo suavissimo blandissimo laudant.

In *Dypsaci* capite vel caule vermiculum vidimus exiguum, capite parvo pedibus sex nigricantibus, incisuris decem vel undecim. Primum caulis medullam illam spongiosam depascitur, eaque deficiente, per inopiam pabuli commoritur. Mensis Octobris initio facile invenitur, quamvis Marcellus in Dioscoridem, insigni sane audacia, id denegat. Hic est ille, ni fallor, quem Tatinum appellant veteres. Gale dracon vocat Xenocrates plantam leucanthemo similem, (inquit Plinius) Caule ferulaceo, alto spinosoque capite, et oviformi: in hoc una cum aetate vermiculos nasci tradunt; in dolore dentium peruriles. In radicibus Carline, (quae planta in excelsis Sabaudiae montibus luxuriat) vermiculus reperitur, in quibusdam nascentis, in aliis adolefcentis, in plurimis alatus, et avolare paratus. Albus est, in aliquot divisus articulos, oculis nigris conspicuus. Animalculi in potenti herba geniti usus in re Medica forsan eximius est: cujus curiosis secretorum naturae indagatoribus disquisitio committatur.

ARTICVLVS II.

De Vermibus qui in animalibus nascuntur:

Vermes in animalibus qui exoriuntur, superius quoque cum de pediculis ageremus attigimus: nunc ut omissa addantur: de quibusdam duntaxat qui in piscibus et

quadrupedibus reperiuntur, agere placet. *Pisces* quod concernit, *Mullus* ideo sterilis est, quod in ejus utero vermiculi, postquam ter peperit, inveniuntur, qui semen absumunt,

Athen. Di.
p. 6. c. 16.

sumunt, si Athenaeo credimus. *Cyprini parvi* nigrum sub bronchiis aliquando gerunt, qui eos in tabem deducit. Duodecim veluti uniones, inquit Bellonius, ervi magnitudine, carnosos tamen, candidos, et calli duritiem habentes, in quibusdam *Cernuis*, (sic vocat, teste Gesnero, percas fluviatiles) conspexi: quorum unusquisque vermem inclusum, gracilem, oblongum ac tere-tem contineret: qui ex venis mesaraicis dependerent inter colon et ileon, ad eos anfractus, in quibus lactes esse solent. Circa Basileam omnibus dulcium aquarum piscium generi innascuntur, Leuciscis inprimis, quos Schvvalen ibidem vocant. Albi sunt, longi, convoluti.

Aestate afficiuntur, et ex ventris duritie, magnitudine, et alboreprehenduntur. Quatuor lumbricos, in secunda Leucisci Rondeletii specie Gesnerus invenit; vivos, candidos, latos, exigua crassitie. Major, digitos fere decem longuserat, latus dimidium. Idem sub finem Maij, in Cyprino lato, aliquot offendit, ad digiti longitudinem, unum albicantem. Sed et *Gobio* vermiculos in ventre gestat.

Ex *Quadrupedibus* laborant iisdem, Equi, Oves, Lupi, Caprae, Boves, Cervi, Canes, etc. *Equis* in quavis fere corporis parte exoriri possunt. Paschalius ventris facit crassos et albos: gutturis, breves, rotundos, et crassos, qui etiam aliquando in intestinum rectum descendunt: inter costam natos, longos, et capillorum instar tenuis. Ruinus quatuor *lumbricorum genera* in eorum intestinis exponit. *Crassos* et breves, in modum pistachiorum sanguineos. *Longos* rotundos et albos, qui teretibus in humano corpore respondent. *Parvos* ac tenues, *Tarme* Italis, qui quandoque cum faecibus egrediuntur. *Ascarides* forte. Nam se foramini recti intestini copiose ingerunt. *Breves* denique et crassos instar fabae, pi-

losos, qui se interiori recti intestini parti applicant. *Brassavolus* in pullorum ventriculo, ingentem copiam rubrorum et seminigrorum Ferrariae reperit, seminis cucurbitae forma. Ruinus prope stomachum, in equis mortuis, plusquam centum, pistachii fere magnitudine, sanguineos, qui prima stomachi membrana erosa, ad secundam pervenerant. In *ovium* hepate reperi, nullum dubium. Adhaerent et bisulcis eorum ungulis. In cava vena diebus canicularibus, Coiterus invenit. *Lupis* in vulneribus et ulceribus facillime oriuntur. Ideo forte lapides, ne laedantur, pertimescunt. *Caprarum* gregiarum ca-
put, multis vermibus juxta cerebri
basin naturaliter affici, scripsit Tral-
lianus. *Boves* sub lingua, nec non
inter cutem et carnem saepissime af-
fligunt. In cerebro *Cervino* semi-
na cucurbitulae aemulantur, in aqua
mortui videntur, in vino reviviscunt.
Prope vertebram nati, iis, qui car-
nes foedant, similes sunt. *Canes*
sub lingua vexantur. *λίσα* vel *λίσα*
Graecis. Alii, nervosam quandam
congeriem dicunt, qua caniculari-
bus inflammata, rabiem concipere
opinantur.

Huc pertinent *μύλαι*, qui in carni-
bus nascuntur: *Tarnia*, qui in lar-
do. *Meldera*, qui in caseo. *Cleri*,
qui in favis apum. Habent et Lo-
custae, postquam pepererunt, circa
fauces suas, qui eas strangulant. In-
venti et in phalangio duo. Qui in
mortuis corporibus reperiuntur, vel
ulceribus Chirurgorum aliquando
incuria, *εὐλα* Hippocrati et Plutar-
cho, *saeva vermina* Lucretio, *κακὰ*
θήρια Suidae, dicuntur. Sunt vel
caudatae, vel caudarum expertes.
Gallinae utrisque vescuntur. De-
mocritus eorum ex Oraculi consi-
lio usu, et Theognosti Democratii
ductu, a comitiali morbo liberatus
est. De *Fuga*, et quomodo
occidantur, veterinarios
vide.

Trallian.
l. 3. tr. 2. c. 3.

Vincent.
l. 29. c. 6.

Ruin. de
morb. e-
quor. 4.
c. 1.

Di.
16.

Ccc

ARTI.



De Vermibus qui in homine.

De vivo homine res est. Nam ex cadavere exurgere certum: natumque aliquando ex medulla spinali serpentem, Camerarius author est. In variis vero illi membris reperiuntur. In *Cerebro* nasci, testantur, Hollerius, Thomas a Vega, Cornelius Gemma et alii. Frequens id olim in Hungaria et Germania: quique laborabant in phresin et maniam incidere solebant. Vnicum in alio, quod cum vino sublimato exhibebatur remedium. Vir apud Benivenium robustus e dextra nare palma longiorem eiecit. Prodiere ex *auribus* in peste, iique crassi sed non ita longi. Hinc *αἰσθητικὰ* Dioscoridi.

Vidit et Valescus de Taranta duos vel tres, granorum pini magnitudine, crassiores tamen. Sub lingua nasci, Montuus author est. In *Dentibus* Sinones a quibusdam vocantur. Battaeo Syriae Monacho ex nimia inedia, enatos fuisse, Sozomenus tradit. Per *oculi* interiorem partem puellae trimae vermem semipalmarem, album, eductum, Amatus Lusitanus scribit. Stabulari aliquando in aliquando arteria, Avenzoar; in pulmone, Aloysius Mundella, in vesica et renibus, Dodonaeus, Rondeletius, Fernelius et Jacorius, in utero, Priscianus et Garzias Lopus, testes sunt. Eiectus ex pectore per tussim; egressus per penis meatum et quidem sponte unus: minxit quidam Perusinus parvos et latos: Italus quidam elychnii crassitudine, vivus et rubentes; vide et apud Moufetum exempla. Exiit per uteri collum magna multitudo. Prodiit et ex polyposis naribus postquam foliorum tabaci succo cruciaretur. De eorundem mictu, Tulpium consule. In brachiis, cruribus, suris, et cute reperiri, Dracontia puerorum, Niguae seu Toni Americanorum, et Indorum Orientalium, ostendunt. Quid plura? Nec cor forte liberum erit.

Dari enim et in sanguine lumbriciformia animalcula, corpus exesura, apud Plinium habetur. Cum semine ejectos, apud Plutarchum. Et qui non nascantur ibi vermes, ubi angues bifidi flagellati, ut in Appendice ad serpentes diximus, inventi sunt.

In intestinis qui haerere solent, sunt *Lati*, *Teredes* et *Ascarides*. Priores omnes aetates infestant, Graecis *ελμίνθαι πλατεῖαι*, et *κηρία*, Latinis proprie Teniae. Per tota enim aliquando extenduntur intestina, corollae in se ipsam ductae instar. Tricenum pedum esse notat Plinius, Platerus quadraginta vidit. Partes eorum non ita exacte semen cucurbitae referunt, sed ubi abrumpuntur, et moram aliquando jam semimortui trahunt, pars quae ad latera tenuior, putrescit: quae vero in medio veluti nodus, figuram seminis cucurbitae vel cucumeris refert. Quatuor historiae apud Fabricium Hildanum vide. Ad hos illi, qui *σκουηδῆς* seu *cucurbitini* vocantur pertinent. Ideo quibusdam alterum Teniae genus. Ex partibus multis, quarum singulae semen cucurbitae referunt, constant. Ex his illum fuisse puto quem Lusitanus describit, quatuor cubitorum, latitudine semiunguis exigui, albus, capite verrucoso, ex quo totum corpus procedebat, quem mulier Illyrica tussicula vivum eiecit.

Teretes στρογγύλοι, seu rotundi Graecis, si magnitudinem spectes, sunt aliquando, longitudine sesquipedali, quinque pedum saepe, nonnunquam palmam non excedunt: si colorem, sunt rubri, flavi, nigri, ex parte albi vel fulvi, et virides: si constitutionem, visus est rubro capite, pisi magnitudine, lanuginosus, cauda lunata: visus dorso lanuginoso, pilis rubris confito, etc. Platerus octodecim ulnarum exsiccatum habuit, quem Moufetus vidit. Trecentorum pedum longitudine ejectum, Plinius author est. *Asca-*

Holler. l. i. cap. 1.
Vega in c. 5.
de locis affectis Galeni.
Gemma in appendice operis Cosmocrut.
Beniven. Exemp. c. 100.

Mont. tom. 4. c. 19.

Sozom. H. Eccl. l. c. 34.

Lusitan. cent. VII. cur. 63.
Mundella Dialogo 4.
Dodon. ad Beniv. c. 78.
Bondolet. de dignos. morb. c. 17.

Moufetus Theatri Inf. 2. c. 30.

Tulp. obs. 2. c. 49. 50. et 51.

Plin. H. N. 26. c. 13.

Plin. H. N. 11. c. 33.

Hild. Obs. Cent. 2. 71. 72. etc.

Amat. Lusit. Curat. Cent. 6. Cur. 74.

Alatr. Inf. 1.

Agri. animi subte

Pin. l. 16.

Alatr. Inf. 1.

Pin.

Ascarides ἀπὸ τῆ ἀσκήν, quod mor-
dicationem et pruritus excitent;
vel ab ἀσκαρίζω moveo, dicuntur.
Veteres *jumentarios* dicebant, quod
saepius in equis, canibus, et boum
genere apparerent. Sunt lumbrici
terrestribus similes, sed unciam
raro superant. In extremo languore
reperiuntur.

Aldr. Hist.
Inf. l. 6. c. 2.

Dantur praeter hos et *Monstrofi*.
Benivenius unum pedibus quatuor,
cauda novae lunae instar falcata, di-
gitorum duorum longitudine obser-

vavit: Gabucinus, nigrum et pilo-
sum: Capriana, binis cornibus fle-
xibilibus, et centum utrinque pedi-
bus subviridem, et qui mire pro-
grediebatur. Rondeletus Scolopen-
drae similem, sine oculis. Schen-
ckii filius variantem, rostellum acuto
et sanguineo excrevit. Rusticus apud
Wierum octopedem, rictu oris ca-
piteque anati simillimum. Puella
Lovaniensis apud Gemmam An-
guillae similem, etc. Plura apud
Aldrovandum et Mouferum in-
venies.

CAPVT III.

De Tereidine et Lumbrico terrestri.

De Tereidine pedata, superius
cum de vermibus plantariis
ageremus, egimus. *Depedis* meminit
Agricola, quem ab aeneo colore
Supferuum vocat. Serpit, in-
quit, quia et pennis caret et pedi-
bus. Crassitudo ipsi quasi parvae
anserinae pennae, longitudo scolopend-
rae. Teres est, sub lignis pu-
tridis natus, et plerumque juxta
scolopendram inventus.

Agric. de
animalibus
subterran.

Aldrovandus quatuor tereidinum
genera constituit. *Vnum* Plinii et
Theophrasti, quod dentes habet et
duntaxat in mari in lignis reperitur.
Alterum Vermiculus dictum; *Ter-
tium* Thrips, *Quartum* Cossium
quem vermem multipedem in lignis
quidam faciunt. Ipse observavit
vermem pili longitudine in ligno
nascentem, colore album, figura fe-
re Erucae sylvestris similem. Linea
in dorso a capite ad caudam usque
conspicua, more Erucarum repen-
tem fere, undecem incisuris con-
stantem, in singulis lateribus, pun-
ctulis quibusdam castaneis, ore ni-
gro ex duobus veluti introrsum se
curvantibus dentibus confecto, qui
admodum constringebantur, plu-
sculis prope os pedibus. Ex ore
succus quidam viscidus, lentusque
emanabat. Hunc vermem *Cossium*
album existimat.

Plin. H. N.
l. 6. c. 41.

Aldrov. H.
Inf. l. 6. c. 5.

Plin. l. c.

Multae tamen sunt arbores quae te-

redinem non sentiunt, ut tilia, quam-
vis corticis et foliorum succus dul-
cis sit, ob odorem; buxus, ob du-
ritiem; abies circa germinationes de-
corticata; Mori materiam aeternam
Theophrastus reliquit. Alexandri
vero Magni comites prodiderunt,
in Tylo rubri maris insula, arbo-
res esse, ex quibus naves fierent,
quas CC. annis durantes inventas,
et si mergerentur incorruptas. In
eadem esse fruticem baculis tantum
idoneae crassitudinis, varium, ti-
grium maculis, ponderosum: et
cum in spissiora decidat, vitri modo
fragilem etc.

Theoph. H.
P. l. 5. c. 5.

Lumbrici terrestres, Graecis γῆς
ἐντερα, δῆλοι, ἀλάκται, Siculis γαφᾶ-
terrestres, γαί, quod terram comedant; Latinis
Intestina terrae, Monardi *Onisculi*
et *Nisculi* dicuntur.

Lumbrici
Aldr. Hist.
Inf. l. 6. c. 6.

Duo ipsorum genera Lumbricis
intestinalibus quidam sunt similes;
alii *Ascarides*. Illi colore sunt inter-
dum subalbido, interdum subfan-
guineo: et pluviis cadentibus subi-
to e terra prodeunt. Hos qui par-
vi, non unius ejusdemque coloris
dicit Agricola. Sunt candidi, lutei,
nigri; saepiusque aratro excitantur.
Vastant fata radicibus subsectis. Ad
eos pertinent *Zuccarolae* Italis dicti,
crassi, longi paulo minus digitum.
Sub aëris aestum, e terra prodeunt.
Terra pingui aluntur, et dulci ra-
dicum

Ccc 2